

EPISTULAE.

P. OVIDI NASONIS HEROIDES.

PENELOPE ULIXI.

- I. Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixè;
Nil mihi rescribas, at tamen ipse veni!
Troia iacet certe Danais invisa puellis:
Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.
5 O utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!
Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
Non quererer tardos ire relictæ dies,
Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
10 Lassasset viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros,
Nomine in Hectoreo pallida semper eram;
15 Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat;
Sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos;
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam:
20 Tlepolemi leto cura novata meast;
Denique, quisquis erat castris iugulatus Achivis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto deus æquus amor:
Versast in cineres sospite Troia viro.